Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

# Promptuarium allegoriarum sacrarum praecipua fidei christianae capita illustrantium: indice quadruplici instructum post editiones 5 revisum, iam septimo recusum

Botsack, Johann

Francofurti ad Moenum, 1678

Caput XI. De conversione poenitentia, regenratione, peccatorum remissione

urn:nbn:de:bsz:31-142795

Visual Library

# CAPUT XI.

# *DE*
# CONVERSIONE, POENITENTIA, REGENERATIONE, PECCATORUM REMISSIONE.

## *ARTICULUS I.*

## De Poenitentia.

### *POENITENTIA IN EXEMPLO Agaræ præfigurata.*

1083. *Agar reverti juſſa eſt ad dominum dominamque, & humiliter ſe iisdem ſubjicere, præcipiente angelo*, Gen. 16. v. 9. Angelus ille Chriſtus, qui nos reverti jubet, quotidiè, per veram pœnitentiam ad Dominum noſtrum, Marc. 1. v. 15. Ezech. 33. v. 11. Zachar. 1. v. 3. Hanc pœnitentiam prædicari juſſit, Luc. 24. v. 47. Hæc eſt vera humilitas & paupertas ſpiritualis, quam à nobis requirit, exemplo publicani, Luc. 18. v. 13. Ita & nobis revertetur amicus noſter ſpiritualis Chriſtus, Cantic. 2. v. 17. Ita revertimur per ſemitas luminis, Job. 24. v. 13. peccata agnoſcentes (quorum culpa cæci eramus, Johan. 9. v. 40. 41. Pſal. 40. v. 13.

Apocal. 3. verſ. 18.) & lumen divinæ miſericordiæ intuentes.

## POENITENTIA EST DEſertum Sinai.

1084. *Iſraelitæ liberati ex Ægypto, in ſolitudinem Sinai venerunt*, Exod. 19. v. 1. Pœnitentia eſt verum animæ deſertum, & quidem Sinai.

1. *Ob nomen*. Sinai enim ſignificat dumetum: Ita pœnitentia oſtentit ſentes peccatorum, ſagittas Dei, iram, juſtitiam, flammas ultrices. Hæc eſt ſeria expavefactio ſenſu iræ Dei, pertinens ad contritionem. Dein verum arietem, *Chriſtum*, videt in dumeto crucis hærere, ut Abraham, Gen. 22. v. 13. quæ pars ſpectat ad fidei procreationem.

2. *Caſtrorum metationem*, d. l. v. 2. *E regione montis caſtra poſuerunt Iſraelitæ*: Ita lex ſola (per montem figurata) in pœnitentia contemplanda non eſt. E regione ejus ſaltem caſtra locare, Chriſtum verâ fide intueri debemus. Lex enim iram operatur & miniſterium mortis eſt extra Chriſtum.

3. *Fumum*. v. 18. Ita pœnitentiæ pars prior oſtendit iræ divinæ fumum, fulgura, tonitrua. De hoc fumo, 2. Sam. 22. v. 9. noſtrum interitum, niſi reſipiſcamus, Eſa. 45. v. 5. Apoc. 14. v. 11. Luc. 13. *niſi pœnitentiam egeritis*, portendente.

## COR PECCATORIS EST INſtar murorum Jericho, lege demoliendum.

1085. *Qui ſtantes Joſuam ab ingreſſu prohibebant*, Joſ. 6. Tubarum ergò ſonitu dejiciendi erant.

1. *Cor peccatoris* eſt murus lapideus, adamantinus, ſed

( ſed de hujus muri duritie ſæpè conqueritur Deus, Zach.7.v.12. Ezech.11.v.19.cap.36.v.26.)

2. Sed *dejiciendus eſt* tubâ legis, Eſa.58.v.1. cœleſti Joſuæ Chriſto via paranda, qui in contrito corde habitat, Eſa.57.v.15.cap.66.v.2.ſeq.

## MONTIUM.

1086. *Montes æquandi ſunt ſub adventum Chriſti*, Eſa.40.v.4. Cor peccatoris mons eſt, tumidus peccatis; at legis aratro, dolabroque æquandus, Oſeæ 6. verſ.6.

## POENITENTIA EST AQUA.

1087. 1.Sam.7.v.6. *Iſraelitæ convenerunt in Mitzpa, hauſerunt aquam & coram Domino effuderunt.* Veri quicunque Iſraelitæ eſſe volunt in Mitzpa vel ſpecula legis convenire debent. Hanc enim vox ſignificat, perſpectisque peccatorum ſordibus, aquam veræ contritionis effundere, in cordis fonte hauſtam, per oculorum ſcaturigines protuberantem, ut Petri exemplo patet, Matth.26.v.ult.

## POENITENTIA EST PISCINA probatica.

1088. Johan.5.v.2.ſeq.1. *Nomine*. Bethesda ſignificat domum lotionis. Pœnitentia vera eſt domus, in qua à peccatis lavamur, Pſal.51.verſ.9. Lava me, Eſa.1. verſ.16.

2. *Situ*: Penes domum probaticam ſita fuit: Ita pœnitentia in Eccleſia invenitur domô ovium Dei.

3. *Ægrorum copia*, qui cæci, claudi, aridi: Ita in pœnitentiæ piſcina jacent ſpiritualiter cæci, Apoc.3. v.18. in via Domini claudi, gratiâ Dei vacui: aridi, ut Pſal.63.verſ.2. Pſal.42.v.2. ſitientes juſtitiam, Matth.5. verſ.6.

4. *Motu*. Piſcinæ aqua ab angelo mota, verſ.4. Ita

Angelus Chriſtus movet cor pœnitentium, veram pœnitentiam efficit, Ezech.33, v.26. Jer.31.v.18. *Converte me Domine, & convertar.*

5. *Efficacia.* Quemvis morbum tollebat aqua illa: Ita pœnitentia quævis peccata tollit, Eſa.1.v.16.17.18.

## POENITENTIA

1089. *Eſt crux boni latronis, in qua membris ſuffixus pendens, Chriſtum reſpiciens, ſalvatus eſt*, Luc.23.v.40. ſeq. Ita in arbore pœnitentiæ pii pendent, pœnitentiæ namque quotidianæ ſunt intenti, exemplo David, Pſal. 32.v.6. & Matth.6.v.12. *Dimitte nobis debita.* Membra mortificant ſuper terram, carnem crucifigunt, mundo crucifixi, Gal.6.v.14. Chriſtum reſpiciunt, vera fide, ut latro ille fecit, totidemque cum eo moriuntur, Col.3.v.5. Gal.5.v.24.

## POENITENTIA EST LACTUCA ſylveſtris.

1090. *Amaritudo, vel lactuca agreſtis. Cum hac agnus Paſchalis comedendus erat*, Exod.12. verſ.8. Pœnitentiæ imago, quæ amarum cœnæ Dominicæ condimentum. Eſt enim pœnitentia lactuca ſylveſtris.

1. *Ob amaritudinem*, quæ eſt lactucæ illius: Ita pœnitentia eſt amara *reſpectu cauſæ efficientis procreantis*, quæ Deus: hic cum pœnitentiam ſuadet, adhibet amara ingrataque media, qualia ſunt Lex, ſpirituali amaritudine doloreque animam implens: Omnis generis calamitates amaræ, horror conſcientiæ amarus & perpetuo pungens. Eſt amara *reſpectu effecti*: efficit enim ſeria pœnitentia amarum dolorem in corde, ſentiente iram DEI; amaras lachrymas, amaros gemitus, exemplo Petri, Matth.26. v.ultim. Orat. Manaſſ. Pſ.32.v.2.3.4. Eſt amara reſpectu *ſubjecti* in quo, quod

cor

cor eſt, quod quia per peccatum corruptum, nihilque ei, præter peccatum, dulce ſit; tunc adeò fit, ut nihil eidem, niſi pœnitentia, amarum ſit.

2. *Ob ſucculentiam*, qua lactuca ſylveſtris præſtat ſativæ, teſte Ægineta, lib. 7. lit. θ. voce Thridax: Ita pœnitentia debet eſſe ſucci plena: hic eſt duplex.

1. Contritionis ſeriæ: Ubi enim ea eſt, ibi largus lachrymarum ſuccus inſequetur.

2. Fidei & dilectionis; nam & hæc eſt ſuccus quidam cor nutriens, qui niſi accedat, cor contabeſcit pœnitentia Pſ. 32. v. 3. 4. Sit ergo ſuccus dilectionis in pœnitentia erga Deum, peccata remittentem, ut in illa, Luc. 7. verſ. 47. & erga proximum, faventem aut lædentem.

3. *Ob frigerandi virtutem*, quæ in lactuca, teſtibus Medicis, Ægineta d. l. & Dioſcoride lib. 2. cap. 166. Ita pœnitentiæ lactuca refrigerare debet

1. Æſtum iræ divinæ per fiducialem meriti Chriſti apprehenſionem.

2. Æſtum carnis & concupiſcentiæ, quæ hominem ſubinde ad peccandum ſolicitat & ignem cupiditatis exſufflat, quo ſpectat, quod eadem lactuca Venerem inhibet, teſte Dioſcor. oculos purgat, ſcorpionum ictibus medetur: quæ omnia ſingulaque ad pœnitentiæ fructus accommodari poſſunt.

## AQUA IN MARA.

1091. *Aquam Mara*, Exod. 15. v. 25. *Iſraelitæ bibere non poterant, niſi injecto ligno*. Ita pœnitentia non poteſt animæ ſitim ſedare, niſi vitæ lignum Chriſtus injiciatur, quo dulcoretur. Per ſe enim pœnitentia reſpectu contritionis aqua amara eſt, quæ ſalutariter non bibitur, exemplo Judæ, Cainis, Achitophelis. Lignum

ergo

ergo vitæ, Chriſtus, injiciendum eſt per veram fidem.

## COR FRANGENDUM pœnitentiâ.

1092. *Lagenæ fractæ Gideonis, cum hoſtes expulſurus eſſet*, Jud. 7. verſ. 20. Hoſtes ſpirituales, lex, peccatum ſunt: Hi expelluntur, fractâ cordis lagenâ, fidei face accenſâ: Hoc fit in vera pœnitentia, cum cor contritum frangitur, fides à Chriſto accenditur, qui lychnum fumigans non exſtinguit, Eſa. 42. v. 3.

## POENITENTIA COR putatur.

1093. Cant. 2. v. 13. *Tempus putationis advenit*: Eſt tempus pœnitentiæ, quâ arboris venenatæ ſurculi ſimiles putandi, luxuriantes præſcindendi. Putatio facit arbores creſcere, vireſcere, fructeſcere: Ita pœnitentia facit creſcere in fide, vireſcere in ſpe, fructeſcere in charitate, Luc. 7. v. 47. Matth. 3. v. 8. *Facite fructus dignos pœnitentia.*

## IN POENITENTIA TRIPLEX terminus.

1094. *Filii Iſrael contendentes in terram promiſſionis triplici termino proficiſcebantur, è quo* Ægyptus *erat; per quem* deſertum, *ad quem* Jordanus.

1. Sic pœnitentiæ terminus *è quo*, Ægyptus peccati eſt: Peccatum verè Ægyptus eſt, triſti nos premens ſervitio. Vide ſuprà: Peccatum eſt ſervitus.

2. *Per quem*, deſertum mundi eſt, ubi cavenda murmura, ſcandala. Hæc duo ſunt pœnitentiæ impedimenta? murmura mundi ob pietatem, cui ſe homo pius ex aſſe emancipat, vide Jobi 2. verſ. 9. 10. & ſcandala

BLB BADISCHE LANDESBIBLIOTHEK gefördert durch Baden-Württemberg

dala varia, quibus obſtrepit pio, ut in curſu pietatis offendat. Utrumque declinandum: prius cum Jobo, d.l. poſterius cum Apoſtolo Philipp.3.v.13.14.

3. *Ad quem*, eſt Jordan, hoc eſt, baptiſmus, cujus recordatio nos ſemper ad dignos pœnitentiæ fructus impellere debet, 1.Petr.3.v.21. Sive etiam terra promiſſa. Ita pœnitentiæ terminus, ad quem reſpicimus, ſit vitæ æternæ gratuitus, Roman. 6. verſ. ult. fructus.

## POENITENTIA MUNDUM relinquimus.

1095. Joh.11.v.44. *Lazarus extra monumentum congreſſus eſt, reſuſcitatus à Chriſto.* Atrio egreſſus Petrus flevit amarè Matth.26.verſ.ult. Babylone egredi jubemur, Eſa.48.v.20. Ita per veram pœnitentiam fiet. E ſepulchro peccatorum egrediemur, mundi atrium relinquimus & ſcandaloſam illam Babylonem, Matth. 18.v.7. Conf. Mundus eſt Babylon.

## TRES POENITENTIÆ partes.

1096. 1.Sam.17.v.40. *Ex funda ſua David deprompſit tria ſaxa, quibus Goliath proſtratus eſt.* Peccatum eſt talis hoſtis, animæ noſtræ inſultans, quod tribus pœnitentiæ (latè) partibus, contritione, fide, novâ obedientiâ proſternendum eſt.

## POENITENTIA

1097. 1.Jonæ 2. v.11. *Eſt Cetus* peccatores naufragos ejiciens in littus.

2. *Virga Moſis ſerpentes devorans:* Peccata noſtra ſunt ſerpentes, qui per pœnitentiam abſorbentur, & abſorbentur ὀργανικῶς, quatenus Jeſu Chriſti meritum fides, pars pœnitentiæ, apprehendit.

POE-

## POENITENTIÆ CAUSA DEUS.

1098. *Gallus primo cantat, antequam Petrus* reſipiſcat, Matth.26.v.penultim. *Magi ductu ſtellæ* acceſſerunt, Matth.2. Tres *fœminæ, orto ſole* Chriſtum in ſepulchro quæſiverunt Marc.16.v.1. Ita nec reſipiſcere, nec ad Chriſtum ſtellam veram accedere, nec eum per pœnitentiam quærere poſſumus, ut cum eo ſepeliamur, Rom.6.v.4. per pœnitentiam, niſi gratia Dei præveniat, ſtella gratiæ divinæ appareat, ſol oriatur, tenebras noſtras illuminans.

## POENITENTIA PIORUM DEUS gaudet.

1099. *Abraham magnum fecit convivium filium ablactans*, Gen.21.v.8. Lac, à quo depellendi ſumus, ſunt ingenita malitia & mundi nequitia: hanc inſtar lactis bibimus & aquæ, Job.15.v.16. Hoc cum ſit, verus Abraham ſuis domeſticis in regno gloriæ, facit convivium, Luc.15.v.10. in regno gratiæ. Gaudent enim pii ob converſionem impii: magis ſcilicet gaudet agricola de terra, quæ primò ſpinas, poſtea fructus fert, quam quæ ſemper fructus tulit: Sic majus gaudium in cœlo ſuper uno peccatore pœnitentiam agente, quam ſuper nonaginta novem juſtis, pœnitentia (ſcilicet lapſorum enormiter: omnes enim pœnitentia ſanctorum egemus, Pſal.32.v.6. Matth.6.v.12. *dimitte nobis*) non indigentibus.

## ANGELI GAUDENT pœnitentia.

1200. *Convivium propter matrimonium Rebeccæ inſtitutum eſt*, Gen.25.v.54. Pœnitentia eſt matrimonium ſpirituale animæ cum Chriſto; factum in miſericordia & judicio, Oſeæ 2.v.19. vinum eſt lachryma pec-

BLB BADISCHE LANDESBIBLIOTHEK
gefördert durch Baden-Württemberg

peccatoris, eſca eſt cor contritum, hoc enim maxime delectatur Deus.

## POENITENTIA

1201. Eſt bona arbor. 1. Ob fructuum maturitatem. Maturè dat fructus arbor bona: Sic cor pœnitens ſtudet veris pœnitentiæ fructibus.

2. Pluralitatem: Omnis generis fructus ex vera pœnitentia: reconciliatio cum Deo, gaudium angelorum, exemplum ædificans multorum.

3. Suavitatem: Cor contritum, ſuavis Deo fructus eſt.

## CONCIONIS POENITENTIÆ EFFECTUS eſt Dei reconciliatio.

1202. Cant. 5. v. 7. *Vigiles pallium abſtuliſſe, vel ſtolam ſponſæ, dicuntur.*

1. Vigiles hi ſunt miniſtri verbi, quos Deus vigiles præfecit Eccleſiæ, gregi ſuo, quem proprio ſuo ſanguine Dominus redemit, Actor. 20. v. 28. Ezech. 3. v. 17. quique vigilant pro animabus ovicularum ſuarum. Hi autem vigilent auferendo pallium vel peplum.

2. *Hoc eſt peccatum*, quod eſt illud pallium, quo facies Dei à nobis abſconditur, adeo, ut & nobis peccatorum pallio involutis, Deus nube ſe involvat, ut nullæ preces pertingere poſſint Thren. 3. v. 44.

3. Abjice ergo pallium immunditiarum, pannum illum menſtruatum, Eſa. 64. verſ. 6. ſi dixeris: veſtitus ſum; audi quid dicat Dominus! *Non habes veſtem nuptialem?* Matth. 22. verſ. 12. audi quid dicat, Apoc. 3. v. 18.

## CONTRITIO FIDELIS Deo placet.

1203. *Ruth ad pedes Boozi ſe projecit*, Ruth. 3. v. 7. quam tandem ſuſcepit. Ita Chriſtus animas contritas ſuſci-

ſuſcipit, ad pedes ipſius ſe projicientes Eſa.57.v.15. cap.66.v.2. Pſal.51.v.19. Matth.11.v.28.

## COGNITIO PECCATI PARS contritionis.

1204. *Propter tenebras Ægyptii de loco ſe movere non poterant*, Exod.10.v.23. Hæ tenebræ ſunt ignorantiæ, quibus ſimulac cor offunditur, de loco ſe non movet, peccator torpeſcens profundâ ſecuritate. His tenebris lux legis inferenda eſt, ut peccata agnoſcantur: Ita lex pædagogus erit, Gal.3.v.24. Rom.10. v.4. ut medicum quæramus, qui eſt Chriſtus, Exod.15.v.26. Matth.9.v.12. Luc.5.v.31.

## NOVA OBEDIENTIA.

1205. *Iſraelitæ caſtra moventes ex deſerto Sinai, ad ſepulchra concupiſcentiæ venerunt*, Num.33. v.16. Ita, quando deſertum Sinai vitæ contritionis per fulgura legis incuſſæ, veraque in Chriſtum fide, peragravimus, ad ſepulchra concupiſcentiæ venire debemus, hoc eſt: Sepelire, mortificare carnis cupiditates, dignos pœnitentiâ fructus facere, Roman.6. verſ.4. Matth. 3. verſ.8.

## COR NOSTRUM NOVALE eſt.

1206. Jerem.4.v.3. Oſe.10.v.12. *Novale cor noſtrum eſt*; veteris Adami lolium indies creſcens, evellendum eſt; aratrum legis adhibendum eſt, ne tribuli verbum Dei ſuffocantes, arentur. Tribuli ſunt mundi ſcandala, Diaboli carniſque propriæ ad peccandum indefeſſa incentiva.

## NOVA OBEDIENTIA.

1207. *Abimelech de nocte ſurrexit admonitus à Domino, uxorem Abrahamo reddens*, Gen.20. *cum honorariis*: Ita peccatores à Domino per vigiles ſuos admo-

monentur, Eſa.58. v.1. Surgere ergò debent, Epheſ.5. v.14. & expergiſci, 1.Cor.15.v.34. manè, hoc eſt, illuceſcente hac veniæ luce & gratiæ, Tit.2.v.11. quam Sol Chriſtus affert. Pœnitere ſeriò, Joel.2.v.13. & fructus pœnitentia dignos oſtendere, Matth.3.v.8. ſicut Abimelech uxorem reddidit, & ſimul donis Abrahamum affecit.

## MORTIFICATIO CARNIS.

1208. Exod.30.v.23. *Electa myrrha in unguento optimo præcepta:* Myrrha hæc mortificatio carnis eſt, quæ per pœnitentiam fit. De arbore myrrhæ gutta fluit amara: *Si tu es arbor veræ pœnitentiæ, gutta amara contritionis ex te fluere debet*, cum *Petro*, Matth.26. v.ult. Myrrha inſignes uſus in medicina præſtat; veneno reſiſtit, ne in animam ſerpat, eamque malo opere inficiat. Hoc illud eſt Davidis, Pſal.119.v.9. Ambulare enim ſecundùm verbum Dei, eſt ſemper vitare peccatum.

## *ARTICULUS II.*
## DE GENERATIONE.

### *REGENERATIO PASSIVA imperfecta.*

1209. *Altero pede claudicans Jacob*, Gen.32. v.31. figuram præbet noſtræ regenerationis, quâ ita comparatum, ut ſemper altero pede claudicemus, ambulantes in viis Domini, hoc eſt, carnis imbecillitate, Rom.7.v.25. Pſal.32.v.6.

## RENOVATIO IMPERFECTA.

1210. *Lazarus quamvis à Chriſto reſuſcitatus, tamen cum ligamentis ſepulchro exiit*, Joh.11.v.44.

1. *Ligamenta* hæc peccatum denotant inhærens illud εὐπερίστατον, Hebr.12.v.1. à quo plenè liberari non poſſumus in hac vita. Hinc Propheta regius Pſal. 32. v. 6. *Propter hoc orabit omnis ſanctus*; & Paulus: *Quis me liberabit?* Rom. 7. v. 24. Venundatum ſub peccato, ibid. v. 14.

2. *Ligamenta* Lazari denotant peccati confeſſionem, cùm enim confitemur peccata, vinculum eorum ſolvitur, Matth.16. v.19. Joh.20. v. 23.

3. *Facies* quoque Lazari *ſudario involuta erat*, quo peccatorum cæcitas ſignificatur.

## RENATI SUNT NOVA CONſperſio, 1. Cor.5.v.7.

1211. 1. *Ob veteris fermenti projectionem*. Non enim ambulant ſecundùm veterem hominem & fermentum, Rom.6.v.6. Eph.4.v.22. Col.3.v.9.

2. *Novi hominis aſſumptionem*. Habent enim ſpiritum novum, Ezech.11. v.19. c.18. v.31. cap. 36. v. 26. & ab hoc ſpiritu novo reguntur, Rom.8. v.14. Ideoq; fiunt creatura nova, 2. Cor. 5. v. 17. vetus præputium cordis abjiciunt, Gal. 6. v. 15. & novum hominem induunt, Eph.4. v.24. Col.3. v. 10.

3. *Spiritus Sancti operationem*. A nobis enim & ex nobis ſumus vetus fermentum: At in Spiritu Sancto ſumus nova conſperſio, conſperſi ipſius virtute, ut ſimus azymi, 1. Cor.5. v.8. hoc eſt ſinceri, Phil.1. v. 10. 2. Pet.3. v.1. 2. Cor.5. v.12.

## REGENERATORUM MOTUS ET vitiorum expulſio.

1212. *Puer ab Eliſæo in vitam revocatus, ſepties oſcitavit*, 2. Reg.4. v.35. Oſcitatio illa vitæ reſtitutæ ſignifica-

ficationem dedit: Peccatores ſpiritualiter mortui ſunt, qui in vitam ſpiritualem renovati oſcitare incipiunt, hoc eſt, vitæ ſpiritualis ſigna edere: qualia ſunt duci à Spiritu Sancto, Rom. 8. v. 14. non afficere triſtitiâ eundem Eph. 4. v. 30. non reſiſtere, Act. 7. v. 51. non acerbare, Eſa. 63. v. 10.

## CONVERSIONIS CONSEQVENS EST Chriſti inhabitatio.

1213. *Accubat Chriſtus in domo Matthai, Simonis leproſi*, Matth. 26. v. 6. *reſipiſcentium*. Indicare voluit Dominus, quo in loco commorari velit, nimirum, ubi Matthæi & Simones reſipiſcentes. Alibi hoc ſæpius inculcatur, Eſ. 57. v. 15. & cap. 66. v. 2. Joh. 14. Si ergò volumus Chriſtum in pectore noſtro diſcumbere, agamus pœnitentiam. Rex diſcumbens in aliquo loco, eum regia exornat ſuppellectile. Chriſtus eſt verus Rex regum, 1. Tim. 6. v. 15. Apoc. 17. v. 14. & 19. v. 16. ſi in corde tuo ille ſibi hoſpitium fecerit, regiam ſupellectilem ſimul adferet, *panem vitæ*, ut nunquam eſurias, *poculum plenum* ſalutis & juſtitiæ, ut nunquam ſitias, ut tunc poculum ſalutiferum accipias & nomen Domini invoces in omnia ſecula, Pſal. 116. Imò patrem & Spiritum Sanctum Joh. 14. v. 23. *Veniemus ad eum & manſionem faciemus*.

## REMISSIO PECCATORUM.

1214. *Annus erat remiſſionis*, Lev. 25. v. 10. *omnibus inhabitantibus, quo nec ſeminabant, nec metebant*.

1. Significabatur remiſſio peccatorum; de quo anno remiſſionis, Eſa. 61. v. 2. Luc. 4. v. 19.

2. Anno jubilæo omnes poſſeſſiones ad ſuos dominos redibant, & ſervi manumittebantur. Præſignificata fuit peccatorũ remiſſio, cujus beneficio poſſeſſio

cœli nobis reſtituitur. Beati enim, quorum iniquitates remiſſæ, Pſal. 32. v. 2. & à ſervitute peccati manumittimur, cùm à pœna & obſoniis peccati Rom. 6. abſolvimur.

3. Jubilæi tubis peculiaribus indicabantur, Joſ. 6. v. 4. Tubæ hæ Jubilæi ſpirituales ſunt miniſtri, Eſa. 58. v. 1. Hinc Joel. 2. v. 1. 15. tuba in Sion canere jubentur fideles.

4. Tubæ Jubilæi anni ex cornu arietino fiebant: præfiguratum, remiſſionis peccatorum fontem per cornu illud ſalutis, Luc. 1. v. 69. ad nos derivari, qui prædicari juſſit pœnitentiam, Luc. 24. v. 47. Remiſſio peccatorum eſt veſtis illa filio indigo aptata, Luc. 15. v. 22.

## REMISSIO PECCATORUM PERFECTA, fructus ejus in hac vita imperfectus.

1215. *Tres civitates trans Jordanem erant; Tres cis Jordanem*, Joſ. 20. v. 1. ſeqq. ſic refugium peccatorum diviſum eſt: Unum inchoativum, in regno gratiæ cis Jordanem: alterum conſummativum, in regno gloriæ trans Jordanem. Inchoativum eſt refugium in regno gratiæ, quia inchoatur perfectio, non conſummatur, ideoque gratiâ eget; conſummativum gloriâ claret perpetuæ liberationis.

## RENOVATIO.

1216. *Pii aſſument pennas, ſicut aquila, renovabuntur*, Pſal. 103. v. 5. Pennas malitiæ ſcil. deponere, & novas obedientiæ aſſumere debent, Eph. 4. v. 22. Col. 3. v. 9. 2. Cor. 4. v. 16. Renovantur per pœnitentiam, ſicut aquilæ, d. l. Pſalmi varii hîc ſunt interpretes, D. Franz. p. 332. animal. hiſtoriæ. Simpliciter renovantur pii per pœnitentiam, acquirendo novas vires fidei

&

& pietatis integerrimas. Pœnitentiâ namque indies renovamur, Eſa. 40. v. 31. *Aſſument pennas, ſicut aquilæ, current & non laborabunt.*

## SIMILE MARGARITÆ.

1217. *Margarita in concha ex rore generatur.* Miniſterium verbi Dei eſt veluti concha, in quo & per quod ros deſcendit, Spiritus Sanctus, & tunc margarita, hoc eſt, pii generantur, 1. Pet. 1. v. 3. & 23. 2. Cor. 4. v. 16. Eph. 4. v. 23.

## RENOVATIONIS TYPUS.

1218. Exod. 28. v. 4. *Lineæ ſacerdotum veſtes renovationis ſtudium ſignificant.* Linum enim inſitum virorem amittit, multasque ſubit alterationes, donec album reddatur filum: Ita naturalem peccati virorem amittere debemus, albeſcere innocentiâ, Deo ſervire, Rom. 7. v. 25. in juſtitia, cui aliàs ſervimus injuſtitiâ.

## RENOVATIO ALIOS HOMINES facit.

1219. 1. Sam. 10. v. 6. *Saul in alium virum mutatus, renovatus ſcilicet:* Ita renovatione homo mutatur, intellectus alius fit Dei illuminatione, voluntas alia obedientia, cor lapideum fit carneum, Ezech. 36. v. 26. Jer. 32. v. 39. & ſic aliud.

## EST DIFFICILIS RENOVATIO.

1220. Apoc. 12. v. 2. *Mulier cum dolore peperit.* Ita eccleſia cum dolore Deo ſpirituales filios generat. Dolor ille eccleſiæ multiplex:

1. Dolor eſt in *ſpectando*, cum pii vident malos ſubinde ſuccreſcere.

2. Dolor eſt in *fruſtrando*, cum amore hujus mundi plurimi capiuntur, ut Demas ille, 2. Tim. 4. v. 10. & ſic *abortus* cenſentur.

Dolor eſt in *patiendo:* talis erat cum Paulus renovaretur, ejusque ſimiles.

## SPIRITUALIS HOMINIS CONVERSIO cur Regeneratio?

1221. 1. *Ob patrem*, qui Deus, ex hoc nati ſumus, ille regenuit nos per Spiritum ſuum, 1. Pet. 1. v. 23. Joh. 3. v. 5.

2. Ob *matrem*, quæ eſt eccleſia, vide infra c. 20.

3. Ob *ſemen*, quod eſt verbum Dei, incorruptibile illud ſemen, 1. Pet. 1. v. 23.

4. Ob *vim πλαςικὴν*, quæ eſt Spiritus Sancti vis. Ut enim in ſemine humano (ob admirabilem facturam, Pſal. 19. v. 6. 14.) vis quædam ineſt formativa, diſponens formam Embryonis: Ita in ſpirituali, mirabilis ſe vis Spiritus S. prodit, de qua Chriſtus Joh. 3. v. 8.

5. Ob *partium* ſuccedentem formationem: Ita indies renovamur: renovatio noſtri ſucceſſiva eſt.

6. Ob *mirabilitatem*, Pſal. 139. v. 14. *Mirabiliter ego formatus ſum.* Ita mirabilis regeneratio noſtri: ſic Joh. 3. v. 8.

7. Ob *occultationem:* Infans abſconditus latet in utero: Ita vita noſtra in Chriſto abſcondita eſt, Col. 3. v. 3.

## POENITENTIA VINCULIS peccatorum exſolvimur.

1222. *Petrum in carcere jacentem & dormientem excitavit Domini angelus, ſurgere juſſit. Quo facto, confeſtim ceciderunt de pedibus illius catenæ.* Peccatores omnes in diaboli, infernalis illius Herodis, carcere ſunt, qui eos ſuo tempore educturus eſt, & æternis ſuppliciis vivos mortuosq; mactaturus, ni reſipiſcant. In hoc carcere dormiunt peccatores, ſomnum ſpiritualem capiunt, Eph. 5. v. 8. excitant ex ſomno peccatores

tores angeli ſpirituales miniſtri: Surgere monent per veram pœnitentiam, ingeminantes: *Surge peccator, memento, unde excideris*, Apoc. 2. v. 5. Effectus ſalutaris pœnitentiæ ſequetur hic: Catenæ decident de pedibus, hoc eſt, à peccatorum & Satanæ vinculis liberabuntur pœnitentes, quibus aliàs conſtricti erant, 2. Tim. 2. v. ult.

## POENITENTIA VERA EST, NON reverti per viam malam.

1223. *Magi non reverſi ſunt per viam ad Herodem; ſed per aliam, viſo Chriſto, in ſuam terram remigrarunt*, Matth. 2. v. 12. Ita vera pœnitentia eſt, viam, quæ ad Herodem, hoc eſt, peccatum, ducit, relinquere; & poſtquam Chriſtum vidimus vera fide, per viam novæ obedientiæ ambulare, & ita reverti in terram illam viventium in cœlo. Linquenda ergo eſt via peccatorum, Pſalm. 1. v. 1. viæ illæ peccatorum anfractuoſæ, Pſal. 125. v. 5. carnis illa corrupta via, Gen. 6. v. 12. perverſa, Num. 22. v. 32. in qua ſaltem contritio & infelicitas, Pſal. 14. v. 3. & quæ tandem in meras tenebras convertitur, Pſalm. 5. v. 10. Quin potiùs viam pacis per pœnitentiam ad Deum in Chriſto viâ noſtrâ, ambulemus.

## POENITENTIA EST ITER AD ſepulchrum peccati.

1224. *Mulieres ſummo manè ad ſepulchrum Chriſti venerunt, aromata attulerunt, quæ emerant*, Marc. 16. v. 1. Sepulchrum eſt peccatum, in quo fides planè emoritur, regnante ſcilicet & dominante, in quo mors regnat, quia per peccatum mors venit, Rom. 12. v. 12. Ad hoc ſepulchrum peccati veniendum eſt, fœtidum inquinamentis peccatorum.

1. *Summo manè*, hoc eſt maturè, nec temerè procraſtinanda pœnitentia, Pſal. 95. v. 8.

2. *Oriente Sole*, hoc eſt, Chriſto prælucente, ſine cujus luce tenebras tuas non animadvertes, ſed inſtar cæci oberrabis, in tenebris illis plusquam Ægyptiacis.

3. Aromata afferenda ſunt veræ compunctionis cordis, quod fragrantiſſimum Deo aroma eſt.

## POENITENTIA EST HUJUS ſolum vitæ.

1225. Levit. 25. v. 50. *Vendens domum, intra muros, anni ſpatium redimendi tempus habebat; quo exacto nunquam redimere poterat venditor.* Annus ille tempus hujus vitæ eſt, quod Deus nobis indulget ad pœnitentiam agendam: Hoc eſt tempus acceptum & dies ſalutis, 2. Cor. 6. v. 2. Domus vendita eſt cor noſtrum, quod per peccatum venditur ad patrandum malum, Rom. 7. v. 14. Hanc domum redimere debemus ſanguinis Chriſti lytro pretioſiſſimo, durante vitæ noſtræ curriculo.

## POENITENTIÆ TYPUS.

1226. Levit. 5. v. 4. 5. ſeq. *Pejerans ita expiabat delictum, ut offerret duos turtures, vel duos pullos columbarum, unum pro peccato, alterum in holocauſtum, daretq; eos ſacerdoti, qui uni eorum pro peccato oblato caput retorquebat ad penulas, &c. & de ſanguine illius parietem altaris aſpergebat.*

1. Peccatores omnes ſunt pejerantes, quia violarunt juramentum cum Deo in baptiſmo initum.

2. Duo turtures duas pœnitentiæ partes ſignificare poſſunt, contritionem & fidem, quarum illa inſtar holocauſti eſt, quia peccator pœnitens totus igni conſumitur pœnitentiæ & contritionis; hæc fides Chri-

Chriſtum applicat ſibi, ut qui pro peccatis noſtris oblatus, Eſa.53. cui noſtri cauſa caput in cruce retortum eſt.

## POENITENTIÆ CAUSA DEUS.

1227. Gen. 8. *Noa manum extendit, columbam ad ſe recepit.* Nos ad Chriſtum cœleſtem Noachum redire non poſſumus, niſi ipſe gratiæ manum porrigat, nos ad ſe trahat Joh.6.v.44. *Nemo venit ad me, niſi pater traxerit eum.*

# CAPUT XII.

# DE JUSTIFICATIONE.

## *JUSTIFICARI EST VESTIbus indui.*

1228. *Stola byſſina indutus eſt Joſeph,* Gen.41.v.42. Sacerdotum quoque byſſina tunica & tiara fuit, Exod. 28.v.39. Ita juſtificati per fidem, veſte juſtitiæ Chriſti induimur, Eſa.61.v.10. pannus ille menſtruatus iniquitatum noſtrarum exuitur, Eſa.64.v.6. Hæc eſt veſtis illa, quam ſuo ipſius ſanguine tinxit ſalvator in torculari paſſionis, Eſa.63.v.2.3.

## JUSTIFICATIO EST INDUERE veſtes.

1229. *Folia ficus contexuerunt protoplaſti, nuditatem ſuam tegere non potuerunt,* Gen.3.v.7. *Sed Deus ipſe veſtes ex pellibus ipſis fecit, easque induit,* verſ.21. Folia